DE

VARIIS,

QUAE

IN MEDICINA PLURIMUM VALUERE

YSTEMATIBUS AC THEORIIS.

DISSERTATIO

NAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

RATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM

BEROLINENSI

AD SUMMOS

MEDICINAE CHIRURGIAEQUE HONORES

RITE NANCISCENDOS

DIE XVI. M. APRILIS A. MDCCCXXV

H. L. Q. C.

PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR

. G. H. L. SCHREIBER

ELBINGENSIS

OPPONENTIBUS:

L. HAXTHAUSEN, DR. ET PHYS. REG. ROTHNG.

A. LAU, MED. DR.

G. BRAUNE, MED. CAND.

BEROLINI,

TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

V I R O

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMO,
GRATIOSISSIMO

IOANNI WIEBEL

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, EXERCITUS BORUSSICI PROTOMEDICO, REGI A CONSILIIS INTIMIS SUPREMIS ET ARCHIATRO, SEMINARII MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI DIRECTORI, AQUILAE RUBRAE IN CLASSE SECUNDA CUM FRONDE QUERNEA DECORATAE, CRUCIS FERREAE IN CLASSE SECUNDA, ORDINIS RUSSICI ST. ANNAE ET WOLODOMIRI, AUSTRIACI, BAVARICI, WUERTEMBERGENSIS, HOLLANDICI ALIORUMQUE EQUITI, LEGIONIS HONORARIAE REGIS ERANCO GALLORUM DECURIONI SOCIETATUM PLURIUM SODALI ETC. ETC. ETC.

VIRO

AMPLISSIMO, SPECTATISSIMO

KRANTZ

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, EXERCITUS BORUSSICI DIVISIONIS PRIMAE MEDICO SUPREMO, CRUCIS FERREAE EQUITI ETC. ETC.

NEQUE NON

VIRO

HUMANISSIMO AESTUMATISSIMO

JUNG

MEDICINAE CHIRURGIAEQUE DOCTORI, LEGIONIS REGIAE PEDESTRIS QUINTAE MEDICO PRAEPOSITO

FAUTORIBUS

AD CINERES USQUE COLENDIS

STUDIORUM HASCE PRIMITIAS

PIO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

L. B. S.

Quum in eo essem, ut examinibus Doctoralibus sustentis, legem Academicam vetustissimam secuturus, specimen inaugurale medicum conponerem, diutius certe haesitavi, quidnam ex tot tantisque hunc in finem aptioribus, mihi adumbrandum eligerem. Sunt hercle sexcentis plus themata quae huic rei optine respondentia censeas; quorum vero alia saepe saepius jamjam egregie tam ac dilucide illustrata sint, ut vix et ne vix quidem novi quid de illis adferre possem, quum alia contra tironis viribus parum adcommodata viderentur.

Ex illo vero tempore, ubi studiis academicis absolutis, quaenam ex medicina vellem, quaeque genio magis convenirent, diligentius et accuratius perscrutari licuit; bene persuasus, medicum non nisi intimo veterum studio, atque cunctis, quae omnis aevi illustrissimi viri de cognoscendis curandisque morbis crediderint, intelligendis, summo in se suscepto munere rite probeque fungi posse, legendae historiae medicae; cujus in medicinam, utilitatem, prae alius amicus Brüggemann [1]) egre-

---

[1]) *A. F. Brüggemann de legendae historiae medicae utilitate. Diss. Berol.* 1824.

gie et elegantissime exposuit, omnem operam navavi, atque perplurima ad hanc rem spectantia, uti melius memoriae traderem, conscripsi.

Quanam de caussa de theoriis medicorum variis hic disserere animus me tulit, nec quemquam, futurum spero, qui exploratius quid in hisce pagellis poscat, quum limites opusculi ne excedam, illorum solorum systematum, quae majoris in universa medicina practica momenti fuisse constet, generalia adferre possem, reliqua vero uberius perscrutanda in aliud tempus differens.

Spem vero amoenissimam me alere posse credo uti, qui forsan juvenile hoc opus dignum habeant, quod legant, benevolo et indulgente animo suscipiant et dijudicent:

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Reliquum est ut celeberrimorum virorum, libros, qui in hac conscribenda dissertatione, mihi prae aliis duces fuere, nominarem, quum reliquos, illis in locis, in quibus ipsis usus sum, attuli.

1. *Curt Sprengel Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde.* 5 Th. *Halle* 1800 — 3.
2. *A. F. Hecker die Kunst die Krankheiten der Menschen zu heilen, Erfurth.* 1*ter Band. Einleitung.*
3. *I. F. K. Hecker Geschichte der Heilkunde. Erster Band. Berlin* 1822.
4. *Ioann. Henric. Schulzii Historia Medicinae a rerum initio ad annum Urbis R. DXXXV deductà. Accedunt Tabulae aeneae, chronologicae etc. Lips.* 1728.
5. *Ejusd. Compendium Historiae medicinae a rerum initio ad excessum Hadriani Augusti etc. Hal.* 1742.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines
Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.

HORAT. SATYR. 1. v. 106. 107.

§. 1.

Generalia quaedam de theoriis medicis, earumque origine, et nexu, quem habeant cum philosophia.

Omnis medicina, quae vel hominem, morbis adfectum in integrum restituere, vel ne in ipsos incidat providere et cavere studeat, duas potissimum vias sequi potest hunc in finem uti perveniat, quorum altera, theoretica (speculatoria) morbum ipsum, quomodo ex sano organismo oriri et eruere eumque commutare possit, definit, quaque in ratione organismus adfectus cum mundo externo ponatur, qualicunque modo, vel in sanitatem, vel in mortem deduci queat, ex legibus, quae omnia corpora organica et anorganica sequuntur edocet; altera vero, empirica, quae de cognoscendis et curandis morbis omnis aevi medici experti fuere, posterisque tradiderunt, enumerare, neque vero

intimas hujus rei caussas adumbrare et intelligere studente.

Quarum vero neutram solam a medico ducem eligendam esse, illustrissimi omnium temporum viri et semper contenderunt et experientia splendide demonstrarunt; quum, altera in statu philosophiae naturalis hodierno, non nisi ad hypotheses vanas vel ipsas falsas nos deducat, altera autem, quae caussas nexumque morborum et medicaminum nec intelligat, nec intelligere studeat, a medico, nisi plane ab omni se abdicet scientia, omnino refutenda foret.

Nec ideo demonstratu difficilius esset, medium esse tenendum, medicumque nisi perscrutandis summa cum diligentia iis, quae de sanandis morbis ad nos pervenere, et ratiocinando, quomodo leges secundum naturae et organismi universales corpus aegrotum restitui queat; munere isto summo, gravissimoque, de aliorum vita morteque discernente, bene beateque omnino fungi non posse.

Quae vero, quum a nemine facile negentur, et philosophiae, quae omnium rerum nexus et intimas ut reperiat caussas nititur, a medico, summam esse navandam operam, luce clarius emicat, experientia quoque quae medicos ingeniosissimos et philosophos fuisse celeberrimos, certiores nos reddidit, istud egregie docente.

§. 2.

Ab antiquissimis vero temporibus, unde medicina florere incepit ad illud, quo nunc versamur aevum, semper medicos, qui illa, quae de hominum pathematibus vel ipsi experti fuerint, vel ab aliis sibi tradita habuerint, secundum logices leges componerent (συνέςτησαν) et pro viribus et scientiis, quibus praediti essent, intimas et morborum et medicaminum virium caussas, illustrare, niterentur, fuisse: ideoque sic dicta systemata medica pro auctorum ingenio, scholisque tunc temporis maxime vigentibus philosophicis et rerum naturalium scientiis cognitis, minus magisve diversa et contraria in lucem protulisse, inter omnes constat. Quorum vero virorum alii optime sibi persuasi, sui aevi medicos in falso versari, summo cum ingenio et scientia quam maximam hominibus attulerunt utilitatem; aliis contra, summa vi nisis, vitam silentio ne transeant, veluti pecora, non nisi novi quid et paradoxi adferre studentibus.

Vituperandi sane illi omnino sunt, qui nullis aliis caussis adacti, vanas theorias docuerunt, neque tamen omittendum, nullum et ne pessimum quidem systema majoris interdum in medicina excolenda utilitatis non fuisse; quum non solum, uti sagacissimus quidam praeceptor contendit, antecedentium errores detegant atque illustrent, verum

etiam mentem, ne in errores incidat, semper alacriorem servent, [1]) et praeterea eo, ut experimentis, ab illustrissimis viris instituendis occasionem praebeant, summi momenti esse possint.

§. 3.

Cuncta vero systemata, ne illis quidem ab ingeniosissimis sagacissimisque viris constructis exceptis, manca esse, facile ex eo intelligi potest, quod philosophia usque adeo imperfecta est, ut ne ultimam omnium rerum caussam quidem demonstrare queat, quum et in scientia interiori naturae tot tantaque nos plane fugiant.

Mirandum autem foret, systemata experientiae et naturae omnino contraria nihilo secius, sectatorum, fautorumque magna copia gavisa fuisse, nisi et omni in alia re, nil medius fidius! tam pravi et insani contendi posse, quod non ab nonnullis credatur, notissimum esset; quum tantum a viro majoris auctoritatis adfirmatum, sive studium facilius reddere, et egregie elevare videatur, sive cum elegantia expositum, mysticam quandam et obscuram insaniam prae se ferens, omnemque scientiam nubilam reddens, nec intelligatur nec intelligendum sit. Omne enim aevum hominibus abundasse, qui in verba magistri juraverint et

---

[1]) conf. Rudolphi Physiologie. 1. *Band, St.* 4. *Berlin* 1822.

τὸ αὐτός ἔφα pro summo argumento statuerint notum est, quum nec illi unquam defuere nec deerunt, qui omni seriori et uberiori studio abhorrentes, facillima sibi eligerent, nec qui inscientia et corrupta mente, vel lucri majoris cupidine adacti mysticis doctrinis sese dicaverint.

§. 4.

Omnium vero, quae unquam floruere systematum, quando effectus in genus humanum contemplaturi simus, tunc nimirum summae istud admirationis dignum habeamus necesse est, omnia fere ejusdem fuisse momenti, nec unquam aliud alio salubrius in universo hominium genere fuisse; quum historia, et praestanstissimorum virorum magna cum diligentia, institutae disquisitiones fere semper eandem fuisse defunctorum cum vivis rationem docent, licet medici unum systematum, aliudve, eorumque saepissime sibi egregie contrariorum secuti sint.[2]) Quae vero ex eo sane exorta videntur, quod aëris et anni constitutionem, undeque genitum morborum indolem, modo illi modo ali theoriae magis respondentem videmus, nisi forsan melius haecce a natura summoque rerum omnium Conditore sapientissime esse constructa credere mallemus,

---

2) conf. Formey. in ej. *vermischten Schriften. Berlin.* 1823.

quae autem ne ulterius exponam, scopum propositum et opusculi hujus limites prohibent atque impediunt; neque tamen omittam: gravissimum nobis esse officium, ut quam pulcerrimam, naturaeque et experientiae optime conveniens systema diligentissime inquiramus atque eligamus quo, nisi universo genere humano, certe singulis saltem hominibus saepe saepius summam utilitatem, eximiosque fructus praebere possimus. Quae pauca de systematibus medicis generalia adumbranda visa sunt, priusquam ad ipsa in omni tempore maxime florentia me convertam.

De systematibus antiquissimis usque ad Hippocratem (ab rerum initio usque ad annum quadringentesimum a. Chr. n.)

§. 5.

Quamquam medicinam apud Indos, [3]) Sinenses, [4]) Aegyptiacos, [5]) nec non apud Ebraeos [6]) aliquantulum floruisse constet, tamen Graeci, uti fere omnibus in rebus, et in nostra arte principes, qui illam cum philosophia conjunctam firma-

3) M. I. E. Gründler medicus Malaabricus.

4) Specimen medicinae Sinicae etc. Ed. Cleyer Francof. 1682.

5) Diodor. Sic. Bibl. I. p. 82. Herodot Hist. II. 37. aliique.

6) Sprengel Analecta historica ad medic. Ebraeorum Halae 1798 et plurima in Mosis libris.

runt scientiam, fuere. Primo quidem, mulieres et heröes, [7]) dein Aesculapii sacerdotes mystico adhibito ritu [8]) in aedibus experientia sibi tradita ad aegrotis medendum usi sunt; mox autem ex illis scholae diversae, quarum Galenus, [9]) Coicam, Cnidicam, Rhodicam et Italicam tradidit evaserunt; majore quidem cum assiduitate experta colligentes, neque tamen, ratione et philosophia illustrare conatae.

Primus vero, qui cum philosophia medicinam conjungit, quamvis vir splendidi ingenii Pythagoras, [10]) plurima in oriundis et sanandis morbis Daemones valere docuit, quam sententiam discipuli inque primis Alcmaeon magis excoluere. Majoris in medicina momenti Empedoclis [11]) theoria fuit, quae prima res cunctas quatuor ex elementis esse constructas, exque illis, ope Odii sive Amoris, variomodo conjunctis morbos construendos, sanandosque contendit; minoris vero philosophorum eodem tempore vigentium: Epimarchi, Democedis aliorumque. Anaxagoras [12]) mox secu-

7) Homeri Ilias et Odysseus.

8) Pausan. Lib. II. ep. 10 11. alq.

9) Galen. Method. medend. Lb. I.

10) Diogenis Laert. lib. *Vjj* et *Vjjj*

11) Plutarch. de plast. philos. Lib. I. IV et V. Cicero de fato et de natura Deorum.

12) Diogenis Laert. lib. II et *Vjjj*. Aristotel. de part. anim. lib. IV.

tus animam esse mundi, universa vero ex corpusculis parvissimis, quae homoeomeria nominavit, formata illisque minus idoneo modo collocatis, morbos oriri docuit, simul vero fere omnes morbos ex corrupta bile proficisci credidit, cumque Democrite,[13]) qui ex corpusculis non amplius secandis (atomis) in vacuo indefinito versantibus, omnium rerum originem deduxit princeps et fundator scholae methodicae fuit. Nominandi adhuc Heraclites et Iccus qui diaeteticam medicinam magis excoluit et Herodicus, qui omnem suam spem in gymnasticis exercitationibus ad aegrotos restituendos posuit.

Systemata ab Hippocrate usque Galenum ab anno quadringentesimo a. Chr. n. usque ad ann. centesimum sexagesimum post Chr. n.

§. 6.

Hippocrates, quem divum nominarunt et cu vix recentiorum aliquem anteponendum illustrissimi viri censuerunt, experientiam cum ratione institutam cumque philosophia semper conjunctam optimum sibi ducem elegit, inque libris ab ipso concinnatis [14]) sententias suas tradidit; ex quibu illun

---

13) Diog. Laert. lib. IX. Aristot. de Coel. Lb. I Cicero de natura Deor. I. c. 12. 24.

14) vide Gruner Censura libror. Hippocrateor. Hekker. l. c. I. p. 120.

illum et in depravatis corporis fluidis, quorum sanguinem, mucum, flavam, atramque bilem habet,[15]) et in caloris insiti (ἔμφυτον θέρμον)[16]) et spiritus[17]) (πνεῦμα) vitiis morborum origines quaesivisse, caussas vero remotas (αἴτιαι καὶ πρόφυσεις) et constitutionem aëris et anni[18]) (κατάστασις) maximae esse dignitatis; omnium vero et praesertim acutorum morborum tria stadia, cruditatis nimirum, coctionis et criseos accepisse, elucescit. In sanandis autem morbis vim medicatricem naturae a medico morborum caussis contrariis adhibendis esse juvandam, plurimumque a diaeta bene instituenda exspectandum docuit.[19])

§. 7.

Quo medicinae rationalis parente defuncto, medici fere omnes ejus vestigia secuti, mox experientia magis, magisque neglecta, soli sese speculationi addicantes scholam d o g m a t i c o r u m (τῶν λογικῶν) constituere,[20]) quorum Hippocratis filii Tessalus, Draco cum genero Polybo[21]) et discipuli Prodicus, Dioxippus et Apollonius primum obtinent locum. Tunc vero philosophus ingeniosis-

15) De natura humana. Tom. I. 263 sq.
16) Aphorism. I. 14 sq.
17) Vict. acut. XXXVII 11. aliisque in locis.
18) De aëre, aqua et locis.
19) vid. Aphorism. et Vict. acut.
20) Celsus de Medicina. Praefat.
21) Galen. Comment. in Hipp. libr. de natur. human.

simus Plato, qui rerum originem e materia et divino spiritu (*νοῦς*) deduxit, usque adeo poeticam medicinam reddidit, ut vix systematis ejus quaenam naturae respondentia videantur. [22]) Verum enimvero notandum, primum illum, omnia vasa ex corde originem suam ducere, credidisse, et cum discipulis mucum ex capite in diversas corporis partes transeuntem (*ῥόοι* quorum septem tradunt) validissimum ad morbos oriundos habuisse. Caeterum vero Diocles [23]) et Praxagoras, qui Anatomiam ab antecedentibus fere omnino neglectam magis excoluit, et differentiam venarum ab arteriis (quae illi aërem ducunt) neque minus undecim corporis fluida statuit; prae reliquis merito inclyti fuere. [24])

§. 8.

Paulo post Aristoteles, philosophorum omnis aevi celeberrimus, princeps scholae peripatheticorum, quem posteri summum nominarunt, maximam cognoscendis rebus naturalibus operam navans, primus vires esse non corporeas (*δύναμις*)[25]) autumavit, quintum elementum, aetherem [26]) statuit, et in mutandis corporibus organicis, formam et

---

22) vide prae aliis Platon Thimoth.

23) Plinii histor. natural. XXVI. c. 2.

24) Galen de different pul. Lib. IV. c. 2.

25) Arist. Metaphys. Lb. I. c. 7.

26) Diog. Laert. Lb. V. p. 32.

materiem (*εἶδος καὶ ὕλη*) validissimam ideoque, morborum caussas quatuor, formalem, materialem, efficientem et finalem docuit, animalium vero magis ac hominum passiones sibi perscrutandas eligens; [27]) quaenam praecepta ab discipulis, quorum illustrissimus Theophrastus, magis excolebantur.

Tum autem medicorum pars altera dogmaticis sese disciplinis tradidit, uti Erasistratus, [28]) qui plurimis morbis ex plethora, [29]) per sinana stomosin vasium exorta, erumpentibus, ligaturam artuum, abstinentiam cibi et diaetam frigidam, neglecto tamen sanguine mittendo, opposuit, reliquos vero ex atomorum fluidorum errore loci (*παρέμπτωσις*) exortas docuit, praeterea anatomiam, [30]) sicuti et Herophilus [31]) uberius tractans. Altera vero pars solam sequens experientiam, empiricam scholam conformavit, cujus Philinus, [32]) Serapion [33]) et Heraclides Tarentinus [34]) optimi fuere.

---

27) Historia animal. Lbj. c. 16.

28) Plin. histor. natur. Lb. XIV. e. 7.

29) Galen. de Venaesect, advers. Erasistrat. c. 9.

30) Erasistratus vasa lactea in mesenterio detegit. (Galen an. sang. natur. in arter. contineat. c. 5.

31) Herophilus plexus choroideos (*μήνιγξ χοροειδής*) et calamum scriptorium (*ἀναγλυφὴ καλάμου*) invenit. (Ruf. Ephes. de corp. hum. part. Lb. I. p. 36.

32) Galen, Introductio sq. c. 4. p. 360.

33) Cels. praefat.

34) Galen de dieb. decret. Lb. I.

§. 9.

In saeculo ante Chr. n. primo, Romae, ubi nunc omnes scientiae artesque egregie floruere, Asclepiades novum systema medicum composuit, quum ex atomis quidem omnia esse constructa, in corpore vero humano spiritum quendam aethereum (λεπτομερές) ex pulmonibus ad cor, ideoque ad omnes alias partes deduci, [35]) morbosque ex eo evadere docuit, uti atomi vasis adhaereant, idque vel ex ipsis atomis commutatis, sibique invicem inhaerentibus, vel ex canalibus in quibus veherentur, angustioribus originem, trahere posse. In therapia summopere illi istud providendum fuit, ut quam celerrime suavissimeque aegrotus funditus restituatur; [36]) quamobrem, diaetam bene adcommodatam, ideoque plerumque stimulantem, vinum, frictiones et balnea prae aliis commendat. Quae methodus, quum Romanis, tunc temporis jamjam genio suo magis indulgentibus et maxime idonea et amoenissima esset, mox in universo terrarum orbi clarissima facta est.

Discipuli illam secuti, quorum clarissimus Themison, [37]) qui omne studium medicinae facillimum reddere studens, cunctos morbos ex fibra vel adstricta vel relaxata (communitates morbo-

35) Cael Aurel. de acut. Lbj. c. 14.
36) Cels. de medic. Lb. III.
37) Cels. de med. Praef.

rum, κοινότητες νοσεμάτων) genitos contendit, scholam condiderunt methodicorum; quibus mox pneumatici duce Athenaeo,[38]) qui mundum a spiritu quodam aethereo igneo (πνεῦμα πυροειδές) procreatum esse, sibi persuasum habuit, et eclectici duce Aretaeo [39]) sese opposuerunt.

De systemate Galeni usque ad Paracelsi theoriam ab anno centesimo sexagesimo ad millesimum quingentesimum vigesimum quintum usque

§. 10.

Iam systema explicaturus sum, quo nullum aliud unquam magis inclytum fuit, nullumque majoris per temporis spatium ab omnibus fere medicis sectandum esse creditum est: Claudii Galeni nimirum, viri maximae sagacitatis, qui ex pluribus aliis dynamicis et peripatheticis theoriis, hanc insignem in lucem vocavit. Sunt illi tres in corpore vivo vires generales, vitales scilicet (πνεῦμα ζωτικόν), animalis (πν. ψυχικόν), et naturalis (φυσικόν), quae in corde, cerebro et hepate sedem suam habeant;[40]) quatuor deinde facultates: attractrix (ἑλκτική) retentrix (καθεκτική) alterans (ἀποκριτική) et repultrix

---

38) Diogen. Laert. Lb. VII. p. 156.

39) Aretaei Capadoc de caus. et sign. acut. et diuturnor morb. Lb. IV. De curat acut. et diuturn. morb. Lb. IV. Ed. Boerhaave. Lugdun. Batav. 1735.

40) Galen de usu part. De usu respirat alq.

(προωστική).[41]) Elementa vero quatuor, iisque respondentia fluida quatuor corporis (cardinalia) cum Hippocrate aliisque accepit; [42]) quorum quando unum alterumve majori seu minori copia adesset (κράσις) morbos cum charactere calido vel frigido vel sicco humidove erumpere docuit; caeterum vero tria illorum genera: partium simularium (γένος ὁμοιομερές), organorum (γ. ὀργανικόν) et omnibus commune (γ. ἁπάντων κοινόν) ponens.[43]) Therapiae autem est, medicaminum quae in quatuor gradibus frigida vel calida, humida vel sicca sunt, illa eligere, quae morbi, quem sanare medicus nititur, qualitatibus contraria opposita sunt. [44])

Quod systema, cujus plurima naturae minus respondere videntur, per spatium fere quatuordecim saeculorum, apud plurimos valuisse, mirandum certe foret, nisi omnis scientiae in illo tristissimo tempore oppressae quasi et exstinctae certissima signa adessent. Monachi omnes doctrinarum reliquias obsedere, et medicinam tractare, summa vi impedientes, quo minus novi quid evadat; postea quidem, subtilissimis syllogismis et scholastica philosophia utentes medicinam docuerunt, sem-

---

41) De natura facultatum. Lb. I. c. 7. 13. Lb. II. c. 3. Lb. III. c. 3 4.

42) De Elementis ex Hippocrate.

43) vid. de morb. different. de morb. caus. de locis affect allq.

44) Methodus medendi Lbri. XIV.

per vero Galeni systemati summum tribuentes locum laudemque. Quamvis sub finem istius spatii, quum jam Aurora restituendarum scientiarum miseris mortalibus fulgeret, scholae medicorum Salerni, Parisiis Lutetiorum, Montisque Pessulani aliaeque litterarum universitates exstiterint, et quamvis omnes reliquae doctrinae, ipsaque anatomia et chemia magis magisque tractari colique incepisset; nihilo secius ad annum usque millesimum quingentesimum vigesimum quintum, ne ullus quidem systema novum constituere ausus est. [45])

§. 11.

Tum demum Philippus Aureolus Theophrastus Paracelsus Bombastus ab Hohenheim, vir magni ingenii maximisque animi viribus praeditus, quem vero multis in rebus inscium et incultum, et plus licito mysticis ineptiis, Kabbalae, magiae, alchemiae et astrologiae sese dicantem, merito lugemus; totum Galeni systema omnino repudians, novam theoriam discipulis docuit litterisque tradidit; [46]) ex quibus eum quinque morborum caussas, quae Entia ille audiunt: Ens astrorum, veneni, naturale, spirituale et Dei statuisse, corpus vero humanum ex Mercurio, Sulphure et Sale compositum, aegrotumque nonnisi eo sanari posse,

45) conf. *Sprengel über latino barbarische Medizin in seiner Geschichte der Heilkunde.*

46) Aureol Philipp. ab Hohenheim Paracelsi opera. E. Huser. Brisgoum. Strasburg 1616.

ut illis supra memoratis Entibus et corporis partibus male mistis medicamina opposita in usum vocarentur, credidisse certiores reddimur. At silentio praetereundum non est, illum chemiae in medicina suscipiendae viam magis aperuisse, plurimisque metallicis v. c. Zinco, Stanno et Hydrargyro primum feliciter usum fuisse. Quanti a contemporaneis aestumatus sit, mihi et simulacrum ejus in domo ubi obiit externa pictum et epithaphium marmoreum in ecclesia, cui verba gloriantia: „Hic jacet Philippus Aureolus Para- „celsus ab Hohenheim, insignis ille medicus, qui „tantam orbis famam adeptus est etc. etc." inscripta sunt, testes a me ipso Salisburgae visi, fuere.

§. 12.

Quodnam systema in totius Europae terris a discipulorum magna copia vulgatum est, plurimum vero in nostra Germania, ubi Leonhardus Thurneyser, [47]) Adamus ab Bodenstein, inque primis Petrus Severinus [48]) illi magis excolendo propagandoque operam dederunt, quum et istius ordinis ab cruce rosarum (R†C *Rosenkreuzer*) [49]) sodales medicinam secundum Paracelsi praecepta tractarunt.

---

47) L. Th. quinta Essentia. Leipsig 1574, ejd. προκατάληψις ibid. 1571.

48) Severin idea medicinae philosophicae. Hag. Com. 1663.

49) vid. *Semlers unpartheyische Beiträge zur Historie der Rosenkreuzer.*

De systematibus, quae restitutis scientiis usque ad Brunonem potissimum floruere.

§. 13.

Jamjam ad nostro saeculo proprius situm tempus mihi progresso, nisi celebriora systemata breviter adferre non licet, quum, praesertim in recentioribus, tanta sit illorum copia, ut omnia illustraturus propositum plane relinquam oporteat.

Medici bene instructi ideo Paracelsi dogmata non temere sectantes, majore adhibita scientia rationeque sive spiritualistae, sive conciliatores (eclectici) fuere, donec Joannes Baptista ab Helmont circa annum sexingentesimum novum systema condidit. Est illi Archeus, [50]) quem hominis quasi animam esse jam Paracelsus [51]) docuit, qui in stomacho sedem habens, ope fermenti cujusdam et corpora construit, et vario modo conmutat; ideoque illo vel nimis exaltato, vel inerte et segni, vel loci errore adacto, fermenta in corporis partes, quibus minus conveniunt, mittente, morbi impetum in homines faciunt, quibus sanandis nil nisi Archeum vel incitare, vel sedare, vel in viam rectam conducere opus est. [52]) Cartesii quoque systema philosophicum, quo, nullum

---

50) Helmont ortus medic. Amstelodam 1652. p. 13—15.
51) Paracels. Paramir. I. p. 11.
52) Helmont. l. c. p. 200 seqq.

esse in rerum natura vacuum, [53]) omneque corpus tribus instructum dimensionibus, inque indefinitum dispartiundum, [54]) docetur, majoris fuit in medicina momenti, quam quod praeteream.

§. 14.

Franciscus Sylvius de le Böe, vir splendidi ingenii, splendidaeque eloquentiae princeps scholae chemiatricae fuit. Universas corporis passiones, vel ex acrioribus fluidis, vel ex ipsis alcalinis sive acidis redditis, ortum ducere, iisque vel sedantia vel acida alcalinave medicamina opponenda esse docuit; [55]) quamnam theoriam omnis fere terrae medici secuti sunt; donec tandem iätromathematici, virique illustrissimi Boerhaave et Fridericus Hoffmannus vel plane illam rejecerunt, vel magis eöercuerunt.

§. 15.

Sanguinis nimirum circuitus, a Harveyo detectus, et systemata philosophica Newtonis et Wolffii scholae iätromathematicorum oriundae sine dubio viam aperuerunt, licet jamjam Sanctorium Sanctorinum, [56]) medicinam cum mathesi conjungendam existimasse, me omnio non

53) Cartes. princip. philosoph. P. II. p. 22. Francof. ad Moen. 1698.

54) ibid. 24. 26. 30.

55) Sylvii opera. Amstelodam 1679. in quib. illius method. medend. Prax. medic., alq.

56) Sanct medicin. static. Venet 1614. ejd. Method. vitand. error. ibid. 1630.

fugiat. Corpus demonstrare machinam hydraulicam, ciborum coctionem in intestinis machinam prestoriam; calorem e frictione, excreta secretaque ex vasorum, et fluida constituentium atomorum forma exorta docuere, neque minus pari modo medicaminum virtutes explicare.

Plurimorum virorum istius scholae Borellium ejus fundatorem Toscanae florentem, [57]) Bellinium [58]) et Sauvages nominare licitum sit.

Herrmannus Boerhaave autem, quamquam matheseos in medicinam usum summum habuit, [59]) et solidarum partium morbos, ex compositis atomis eorumque figura (ita v. c. inflammationem ex sanguinis majoribus vesiculis in minora vasa translatis) gigni persuasus fuit, tamen et chemiatricis paululum favens, acrimonias quinque [60]) in corpore arbitratus est.

§. 16.

Georgius Ernestus Stahl contra, omnes chemicas et mechanicas theorias maxime repudians, materiem sive corpus ipsud minime agens, nec viribus praeditum, solamque animam [61]) (ψυχήν,

57) vid Borelli de motu animal.

58) Bellini opuscul. Lugdun Batav. 1690.

59) Method. discend. medic. Lugv. Batav. 1726. ejd. Oratio de usu ratiociniorum mechanic. in medic. ibid. 1703.

60) Boerhaave. Aphorismi de cognosc. et curand. morb. praes. §. 108. 109. 371.

61) Stahl. Theoria med. pract. Hal. 1708 p. 43. 250. confer. Fr. Hoffmann different inter doctrinam mechanicam et Stahlii organicam vol. II. 130 sqq.

quod verbum ab φύσιν ἐχῶν derivavit) et vitae normalis et alienatae caussam intimam existimavit; morbos ideo motus salubres animae, quibus materiae quaedam in corpore susceptae noxiae depellantur; eorumque crises esse maximae dignitatis, a medico vero illa conamina animae methodo exspectativa [62]) sustentanda esse, nimisque vehementia sedanda, inermia excitanda, irregularia in veram, corporique convenientem [63]) viam ducenda. Illorum autem, qui hocce systema probarunt, Richardus Mead, [64]) Unzer, [65]) Bonnet [66]) et Platner [67]) celeberrimi erant.

§. 17.

Fridericus Hoffmann, sui temporis medicus illustrissimus anno millesimo septingentesimo decimo octavo novum systema medicum condidit; cujus haec potissimum doctrina excellit, quae corpus ex materiae insitis viribus mutari contendit. Jam quidem antea Glisson materiae vires, inque primis irritabilitatem docuerat, [68]) et philosophus

---

62) Stahl. Sileni Alcibiadis Paris. 1730.

63) ejd. method. medend. 602.

64) R. M. monita et praecepta medica. Londin. 1751.

65) *Unzer Gedanken vom Einfluſs der Seele in ihrem Körper. Halle* 1751.

66) Bonnet Essai psychologique, ou considerations sur les operations de l'ame. Londres 1755.

67) *Platner Neue Antheopologie für Aerzte und Weltweise, Leipzig* 1790. Quaest. Psychologie. ibid. 1794.

68) Glisson. De ventricul. et entestin. Amstelodam 1677. p. 172 alq.

praeclarus *Leibnitz*, omnibus corporibus duas esse vires *δύναμιν*, qua existit et *ἐνέργειαν*, qua agit [69]) egregie demonstrarat; Hoffmann autem medicorum primus fuit, qui ista magis illustrabat, adque medicinam transferebat. [70]) Morbos itaque ex viribus motricibus, (certas naturae leges sequentibus), vel exaltatis (dolor, spasmus,) vel imminutis (atonia) proficisci; summam virem motricem esse succum nervorum in cerebro paratum, medicamina vero alterantia, evacuantia, roborantia sive sedantia esse putavit; summam perinde rationem status digestionis, succi nervorum et sympathiae partium esse habendam tradidit. In theoriae hujus fautoribus, Gaubius [71]) et Ludwig [72]) prae aliis excelluere. Neque non magni Halleri [73]) et Felicis Fontanae [74]) disquisitiones circa musculorum viribus, magni habendae sunt. Tissot [75]) quoque celeberrimus et Cullen, [76]) qui primus

---

69) in operib. omnib. (Genev. 1768) p. 20. 47. 215 alq.

70) Fr. Hoffmann. de differ. organ. et mechanism. p. 38 ejd. Medic. nation. system. prolegom. (in operib. vol. II. Genev 1740.)

71) Gaub Institution pathol. medic. Lugd. Batav. 1758.

72) Ludwig. Institut. physiol. Lipz. 1752. Pathol. et therap. general. ibid. 1754.

73) Haller. Element phys. etc. ejd. Memoires sur les parties sensibles et irritables.

74) Fontan. Richerche filosofiche sopra la fisico animale. Firenze 1770.

75) *Tissot über Nervenkrankheiten.*

76) Cullen fersl. lines of the practice of physice vol. I. (Edinburg 1784) 69. 70. ejd. Materia medica.

differentiam inter synocham et typhum statuit scholae dynamicae addicti fuerunt.

§. 18.

Ad theoriam jamjam provectus sum, quae a Mesmero [77]) primo vulgata ingentem gloriam nanciscendi spem prae se ferens, mox a fraudantibus, et fanaticis absque omni scientia defectis circumforaneis, tanta dedecore adfecta est, ut Rudolphi noster inclytus, magnetismum [78]) cum mendacio intimam semper inire societatem disputet. [79])

In extremis saeculi antecedentis lustris, leges secundum chemiae vivum corpus mutari, plurimi denuo credidere; ita Girtanner [80]) principium incitationis in oxygenio, Mitchill [81]) morborum caussas in azotico oxydato quaesivere, et Baumes [82]) universam medicinam ex chemicis legibus conponere studuit; ipseque celeberrimus Reil omnium corporum viventium phaenomena ex forma

---

77) *Mesmers kurze Geschichte des thierischen Magnetismus. Karlsruhe* 1783.

78) vid. *C. A. F. Kluge. Versuch e. Darstellung des animalischen Magnetismus als Heilmittel. Berlin* 1818. et *Pfaff über d. thierischen Magn. u. d. jetzt vorherrschenden Tendenz auf dem Gebiete desselben.* 1817.

79) *C. A. Rudolphi. Physiologie, Vorrede. Berlin.*1822.

80) *In seiner Uebersetzung des Brownschen Systems.*

81) Mitchill Remarks on the gazeons oxyd of azote etc. New-York 1795.

82) Baumes Essai d'une systeme chimique de la science de l'homme à Nimes an 6.

et mistione partium constituentium interpretatus est. [83]) Nostro vero tempore, prae aliis Haase chemicas, cum dynamicis tamen conjunctas, doctrinas secutus est. [84])

De Brunonis systemate, illudque sequentibus recentioribus theoriis.

§. 19.

Quum ideo medici mechanicis chemicis, dynamicis vel empiricis, eclecticis, scepticisve praeceptis faverent: Brown novum universae medicinae systema condidit, quod mox plurima medicorum pars sectata est.

Omnes illi morbi vel locales vel universales sunt, ad quos gignendos opportunitas adsit necesse est, valetudo igitur, opportunitas morbusque ipse tres status sunt, in quibus corpora organica versari possunt. Organismum perinde non nisi stimulis sive internis sive externis adfectum agere posse docuit; qualitatem corpori insitam, qua illo modo adfici queat, incitabilitatem nominans. Ex quibus vero duobus factoribus incitationem, quae ex sensatione corporisque et animae motu cerni possit, eamque vero semper eandem, pro minoribus, majoribusve factoribus in gradu solo

---

83) *Reil's Archiv für Physiologie, 1. Band 1. Heft.*

84) *Haase. Ueber Erkenntnifs u. Cur d. chronischen Krankheiten. 1. B. Einleitung. Leipzig* 1820.

diversam, procreari contendit. Certi autem illius sunt fines, quorum alter stimulis nimis adhibitis, principio quidem stheniam deinde vero incitabilitate exhausta astheniam indirectam, alter ex stimulorum copia imminuta ortus, incitabilitatem accumulatam, ideoque astheniam directam efficit. Caeterum omnes stimulos totius systematis incitabilitatem adgredi, neque hanc ideo localem imminutam et universalem auctam eodem tempore esse posse, quamvis astheniam non nisi in gradu ab aliis differri, qualiumcunque medicaminum virtutes in sanandis morbis, universales esse easdem, eo tantum inter se distinctorum ut alia magis, alia minus incitent quamobrem in sthenicis morbis minores, quam quibus effecti sint, in asthenicis autem majores stimulos in usum esse vocandos, sibi persuasum habuit. [85]) Quod quum systema a fautoribus emendaretur atque excoleretur, theoria in Germania notissima incitationis nata est, cujus doctrinas prae aliis Müller [86]) et Röschlaub [87]) egregie illustrarunt.

§. 20.

Eodem fere tempore ac Brown, novam theoriam

---

85) *Brown's System d. Heilkunde, a. d. Englischen v. Pfaff. Copenhagen. 3te Aufl.* 1804.

86) *Müller. System der gesammten Heilkunede nach d. Erregungstheorie. Leipz.* 1803 — 7.

87) *Röschlaub Untersuchungen über Pathogenie. Frankfrth.* 1800 — 3.

riam posuit Darwin,[88]) quae autem nunquam majori sectatorum copia gavisa est, quod quoque de Hahnemanni theoria homoeopathica,[89]) aeque ac de Rasorii, in recentiori tempore condita theoria Contrastimuli[90]) contendi potest. Mox permulti criticae philosophiae a Kantio, ejusque discipulis doctae addicti, morbos, rationemque qua illis medendum sit, a priori deducere conati sunt; aliis philosophiae naturali cum theoria incitationis conjungendae operam navantibus,[91]) quorum vero singula systemata ex caussis jam antea memoratis hoc loco exponere nequeo.

De novissimo systemate Broussaei.

§. 21.

Quamvis systema, cujus mentionem facturus sum, in medicina nec magni aestimatum nec aestimandum esse me omnino non fugiat, tamen, ne novissima neglexisse videar, pauca haec verba de

---

88) Darwin Zoonomie, or the laws of organs lif. London 1797.

89) *Hahnemann Organon der rationellen Heilkunde. Dresd.* 1819. *Archiv für homöopathische Heilkunst*, 1822 — 25. 1 — 6 *Bd.* (continuatur).

90) *Wagner Darstellung und Widerlegung der ital. Lehre vom Contrastimulus. Berlin* 1819.

91) *Schelling von der Weltseele*, ejd. *Ideen zur Philosophie d. Natur. Leipz.* 1799. *Eschenmayer Sätze aus der Natur-Metaphysik, auf chemische und medizinische Gegenstände angewandt, Tübing.* 1797. *Troxler Grundrifs d. Theorie d. Medizin, Wien* 1805. *Kilian Entwurf eines Systems der gesammten Medizin.*

isto hic disserere, licitum sit. Vitam Broussais docet a stimulis externis dependere, quibus corpus seu magis seu minus quam valetudine conveniat, incitari possit; plurimos autem morbos ex stimulorum majore copia adhibita (surirritation) progredi, e qua ab initio sanguinis congestio, dein vero inflammatio evadat; semper vero cum stomachi et intestinorum passione vel primaria, vel saltem secundaria conjuncta, ita ut sic dicta gastro-enteritis omnium morborum fundamentum habenda sit. Quibus praemissis, illum fere omnem spem in sanguine mittendo quaerere, facile intelligitur.[92]) Quid vero amplius de viro dicam, cujus tanta sit arrogantia, ut, licet Germanorum medicorum paucissimos noscat, ipsamque nostram linguam minime intelligat; quid? quum Petrum Frankium cum Iosepho Frankio confundat, nihilo secius nostros omnes dijudicare et imo maxime vituperare non erubescat?[93])

---

92) Examen des doctrines medicales et des systemes de Nosologie etc. par F. I. V. Broussais. Paris 1821. *Casper Charakteristik der französischen Medizin etc. Leipz.* 1822. *p.* 259. — 293.

93) ita in op. c. Chap. IV. saepissime methodos Germanorum medicorum „ridicules, empiriques ignorantes" etc. nominat!

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego, Ioannes Guilelmus Henricus Leonhardus Schreiber, prope Elbingam, in pago qui Zeyer audit a. d. tertium Calendas Augustas anni millesimi octingentesimi secundi natus, patre Iacobo Henrico, Superintendente et pastore evangelico primario Elbingense, matre vero Ioanna Elisabetha Eleonora e gente Tiehseniana gaudeo. Ad annum usque aetatis octavum a parentibus, privatimque docentibus, quibus aetas puerilis institui solet doctrinis imbutus, anno hujus saeculi decimo Athenaeum Elbingae florens petii, in quo octo per annos a professoribus maxime de me meritis in literarum praemordiis edoctus sum. Anni autem millesimi octingentesimi duodevicesimi Nonis Majis Seminarii medico-chirurgici quod Regis Augustissimi nomine gaudens Berolini floret civibus ut per decanum, tunc temporis Ill. Hermbstaedt adscriberer contigit. Ex quo inde tempore, uti medicinae utriusque doctrinas perciperem summa, qua potui vi, nisus per quatuor annorum spatium celeberrimorum virorum scholis usus sum: Beat. Kiesewetter de philosophicis Cl. Hecker de Celso. Ill. Hermbstaedt et Turte de physice, chemia et pharmacia Ill. Link de botanice historia naturali et historia medicinae, Ill. Rudolphi de encyclopaedia medica, anatomia universa, nec non de organorum sensuum structura et entozoorum historia, Ill. Knape de anatomia.

Physiologiam Ill. Rudolphi, Cl. Horkel, Koreff et Eck, pathologiam generalem et semioticen Cl. Fr. Hufeland, pathologiam specialem Ill. Horn,

materiam medicam Cl. Osann, therapiam tam generalem, quam specialem, Ill. C. G. Hufeland et Cl. Fr. Hufeland me docuere.

In arte formulas medicas concinnandi et medicina forensi Ill. Knape, in chirurgia et ophthalmiatrice Ill. Graefe, Rust et Cl. Kluge in arte obtestricia Cl. Kluge mihi duces fuere. Neque minus clinicis exercitationibns medicis et chirurgicis ab Ill. C. G. Hufeland, Graefe, Rust Cl. Kluge et Neumann moderatis, interfui.

Quibus studiis absolutis in legione pedestri decima secunda Frankofurthi per tria semestria, tunc vero in legione pedestri quinta per annum et quod excurrit Gedani medici centuriati munere functus, denuo Doctoris gradum adipiscendi caussa Berolinum me contuli, ibique Tentamine a. d. decimum secundum Calendas Martias, Examineque rigoroso a. d. octavum Calendas Apriles rite absolutis, nil obfuturum spero, quo minus Dissertatione thesibusque defensis summi in me utriusque medicinae honores conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Medicina practica universo genere humano nunquam utilis fuit.

II. Curatio symptomatum saepissime curationi caussarum anteponenda.

III. In auditu canales simicirculares et ampullae sonui, cochlea vero tonui percipiendo inservire videntur.

IV. Asthma acutum Millari ab omni alio asthmate convulsivo in re non differt.